



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

II. De sacramentis ecclesiasticis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ANNO
CHRISTI
1137.
ligi a nonnullis, dum multas inuenimus ecclesias, & etiam cathedrales, quæ licet sint ab antiquo constructæ, nondum tamen sunt consecratae oleo sanctificationis. Volentes huic pericolosæ negligentiæ obuiare, statuimus, & statuendo præcipimus, ut omnes ecclesiæ cathedrales, conuentuales, & parochiales, quæ perfectis parietibus sunt constructæ infra biennium, per dicœcesanos episcopos ad quos pertinent, vel eorum auctoritate per alios consecrentur: sicque infra simile tempus fiat de cetero construendis. Et ne tam salubre statutum transeat in contemptum, si loca huiusmodi non fuerint infra biennium a perfectionis tempore dedicata, a Missarum solenniis vsque ad consecrationem manere statuimus interdicta, nisi aliqua rationabili causa excusentur. Ad hoc ne præsumant abbates, ecclesiarum rectores, antiquas ecclesias consecratas, sub prætextu pulchrioris vel amplioris fabricæ faciendæ, diruere absque licentia dicœcesani episcopi & consensu, præsenti statuto districtius inhibemus. Dicœcesanus vero diligenter consideret, vtrum expediat dare licentiam vel negare; & si dederit, attendat & intendat, vt opus quam celerius poterit consummetur: quod extendi statuimus & volumus ad iam coepta. De capellanis vero minoribus nil noui duximus statuendum. Consecrationes earum, qualiter & quando fieri debeant, definitionibus canonicis relinquentes.

II.

Sacramenta ecclesiastica, in quibus tamquam
Concil. Tom. 28.

Xx

in vasis cælestibus salutis remedia continentur ,
nec non oleum sanctificatum & chrisma , a mini-
stris ecclesiæ pure atque deuote , qualibet exclusa
cupiditatis labo , statuimus & statuendo præcipi-
mus exhiberi , nulla difficultate in eis adhibita ex-
hibendis , prætextu consuetudinis alicuius , qua di-
cantur ab eis qui ea recipiunt aliquibus aliqua per-
soluenda . Sacra menta vero principalia quæ sunt &
quot , propter simpliciores duximus exprimenda :
sunt enim baptismus , confirmatio , pœnitentia , eu-
charistia , extrema vñctio , matrimonium , atque
ordo : de quorum quolibet in sacris Canonibus est
tractatum , & plenius ordinatum . Sed quia non est
leue canonum gyrate & ignorare medico medicina-
le officium , minus graue statuimus , vt in suscep-
tione curæ animarum & ordinis sacerdotii ex-
aminentur de his præcipue ordinandi . Archidiaco-
ni quoque in decanatum suorum conuentibus sa-
cerdotes maxime in his studeant erudire , docentes
eos qualiter circa baptismum , pœnitentiam , eu-
charistiam , & matrimonium , debeant se habere .

III.

Ad baptismum solenniter celebrandum duo ,
scilicet sabbatum ante resurrectionem Domini , &
sabbatum ante pentecosten , sunt a sanctis Canoni-
bus propter mysterium deputata . Sed quidam , vt
audiuimus , in partibus istis diabolica fraude dece-
pti , periculum suspicantur , si præfatis diebus pueri
baptizentur ; quod arbitrari , vel vtrumque me-
tuere , sanæ fidei penitus aduersatur , & manifeste
conuincitur esse falsum , cum summus pontifex